

VOMITORIA approbamus, si materia in ventriculo fluctuet & patientes ad vomitum proni sint; à quibus tamen abstinendum est, in præsentia bilis, difficultate vomendi & nimia oris ventriculi sensibilitate. Provocetur vomitus blandis, solo oxymel. cum iure, aut melle rosat. cum iure, decoct. hordei, calameth. sem. raph. aneth. & c. Chymici hodiè utuntur sale vitrioli seu Gillâ Theophr. in cerevisia calida cum butyro exhibitis. DIAPHORETICA maximè sunt ex usu, cum humor serosus abundat, ut: Sarsaparilla, Sassafr. Rad. chin. C. C. Theriaca, Mithridat. Antimom. diaphoret. Bozoarticum Sal. Spir. C. C. sal C. C. volatile. DIURETICA etiam sunt proficua; horumque materia non est ignota: Chymici extollunt ol. Terebinth. Sal succin. volatile, Magist. ocul. 69. spir. itidem vitrioli philosophicum,

Administratâ hoc modo evacuatione totius corporis, ad ALTERANTIA accedendum, quæ partim fumos cacochymiales discutunt, partim spirituosam cordis substantiam restituunt, partim etiam cor ipsum roborant. Variari ea debent pro ratione causarum; frigidiora conveniunt in causa calida; calidiora in causa frigida, in cordis tumore & aqua in pericardio abundante. Monet Avicenna, in omnibus morbis cordis fugienda esse vehementer calefacientia, quæ vires cordis dissolvunt, vehementer refrigerantia, quæ calorem labefactant, & spirationem difficilem reddunt, vehementer adstringentia, quæ fuligines & excrementa retinent. Hæc autem sunt vel

INTERNA. Aurum crudum vel etiam Vulcani opera subtiliatum & essentificatum, margaritæ & corallia in substantia vel magisterio exhibita, os & magist. de Cord. C. lapides preciosi, bezoar, Unicornu, C. C, crudū cū igne aut philosophicè paratū, ambra, moschus, zedoaria, melissa, folia semen & cortex citri, cinamomum, nux mosch. & pleraq; aromata. Confect. alcherm. de hyac. anacardina. Extr. lign. aloes, Cord. majus & min. Quer. Essentia
cro-